



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt Primvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

Iudæos, subigit gentes, ordinat dei cultum, parat omnia ad consummandum futurum templum, sed tamen templum & quæ dei sunt perficere non potest, omnia tamē in conspectu dei & ab ipso deo acceptantur pro consummatis, quia in regno Christi imputantur quidē nobis, quia suscepti sumus, omnia pro perfectione consummata tamen iustitia in hac uita non contingit. Omnia uero post mortem Dauidis sub Salomone consummantur ut dicemus suo loco. Omnium uero horum exemplum hodie uidemus quando regnum Saulis, id est hypocritarū, perit, Christo rursus per euangeliū incipiente regnare, non desinent tamē ad finem usq; mundi qui cupiant regnum ad Saulem reuerti &c.

CAPVT PRIMVM.



Quam uero corde hic doluerit Dauid ex præcedentibus uidere licet, id quod est exemplū diligendi inimicum si in solum Saulem respicias, quē dolet Dauid tam turpiter interisse, cum gloria fuerit Israël cōtra gentes, quæ nunc gaudent & blasphemant nomen domini. De Ionatha & filijs Israël occisis quid attinet dicere in hoc luctu Dauidis? Iacet populus dei, & dei nomen blasphematur in gētibus. Porro Amalechites qui mendacio gratiā inire uoluit apud Dauidem, licet nō mentitum Iosephus uelit, sententia oris proprii perit. quē ad modū

quæadmodū ille in parabola euāgelica, cui dicitur,
 Ex ore tuo te iudico serue nequā. Non enim iam par
 cere debuit ei Dauid, quæ dominus tradiderat in ma-
 nus eius iudicandū ex oris sui sententia. Sciebas, in-
 quit, Christum esse dominū, quia ex profelytis te esse
 dicis, ergo nō debebas hoc malū facere, ne iussus qui-
 dem, nisi etiam nō peccasse putas Doëch Idumæum,
 qui iussus occidit Christos domini. i. sacerdotes. Inci-
 dit uero in hoc iudiciū Amalechites hic iudicio dei,
 ut cū reliquis Amalechitis periret, à quorū cæde iam
 Dauid uenerat. Corde enim Amalechites adhuc erat,
 qui externa circuncisione Iudæū profelytam se men-
 tiebatur. *Veste conscissa. &c.* Quæ tunc erant se-
 gna luctus. Iste enim luctum simulabat. &c.

Arcum. Vulgo intelligunt, ut filij Iuda discant
 arcu iacere, & exerceantur ad præliū, & fortes sint
 ne cadant aduersarijs. &c. Quod si uerū est, librum
 iustorū intelligo librum Iudicum, ubi dicitur cap. 3.
 Hæ sunt gentes quas dominus dereliquit, ut erudiret
 in eis Israëlem, & omnes qui non nouerāt bella Cha-
 nanæorum, & postea discerent filij eorū certare cum
 hostibus, & habere consuetudinem præliandi &c.
 Verum nō uideo, qui hoc loco huic conueniat. Iccir-
 co arcum putamus fuisse carminis siue lamentationis
 huius appellationem, & istum librū qui hic citatur,
 non extare nunc. Iosephus quoq; dicit se uidisse epi-

taphium Saulis & Ionathæ à Dauide conscriptum, quod uerisimile est esse istud quod hic describitur, aut huic simile. Arcum igitur dicimus carmen in quo canitur arcus fortium superatus, & fortes cecidisse qui uictores euadere solebant, q. d. Tantus est hic luctus, ut perpetuæ memoriæ mandari debeat, quemadmodum quod carmine celebratur & c.

Incliti.] Incipit carmen. Et dicit, Super montes tuos, non dicit, ô Israël, uel ô Gelboe. Sicut enim affectus læticia gestientium, alijs non sibi, obscure loquitur, ita & dolentium & c. Sic in psalmo, Fundamenta eius & c. Certa tamen sententia ex sequentibus deprehenditur. Nolite.] Non potest prohibere Dauid, quod ubiq; iam dicebatur in ciuitatibus gentium & templis, sed affectum suum indicat, quo nollet hoc dici, significans quàm doleat de ista intergentes blasphemia. Montes.] Loco etiam male precatur, ubi talia mala contigerunt, quasi diceret, Non sit hic locus acceptus deo, ut illic aliquid frugis proueniat, uel in usum hominum, uel in oblationem dei. Sagitta.] Laus mortuorum, quemadmodum fit in epitaphijs. Aquilis.] Scilicet ad persequendum hostes & c. hyperbolicæ orationes sunt.

Vestiebat.] Ex præda hostibus erepta. Vestra iâ illæ deliciæ perierunt & c. Quõ.] Qui ita finit satis indicat se plura uelle loqui, dū dolor nõ permittit.